

## SENTENTIAE

**N**emo est tanta firmitate suffultus, ut de stabilitate debeat esse securus, dicitur Apóstolo: Qui stat, uideat ne cadat.

**N**ulla ars absq; magistro discitur. Etiam muta animalia & ferarum greges ductores sequuntur suos. In apibus princeps sunt: greges unam sequuntur ordine iterato.

**N**ihil Christiano foelicius, cui promittitur regnum caelorum. Nihil laboriosius, qui quotidie de uita periclitatur. Nihil fortius, qui uincit diabolum. Nihil imbecillius, qui à carne superatur.

**V**igilando timor omnis excluditur, fiducia nascitur, caro maceratur, uicia ralescunt, charitas roboratur, recedit stulticia, accedit prudentia, mens acuitur, error obtunditur, criminum caput diabolus gladio spiritus uulneratur.

**Q**uis gloriabitur castum se habere cor? Astra non sunt munda in conspectu domini, quãtò magis homines, quorum uita tentatio est? Væ nobis miseris: quotiens concupiscimus, totiens fornicamur.


## HIERONYMI


**I**bidinosa mens ardeius honesta persequitur, & quod non licet, dulcius suscipitur.


**D**isplicent mihi in teneris maxime ætatibus longa & immoderata ieiunia, in quibus iunguntur hebdomades, & oleæ in cibo ac poma uetantur. Experimento didici, asellum in uia cum lassus est, diuerticulum quaerere. Parcus cibus & uenter efuriens triduanis ieiunijs præfertur. multò enim melius est quotidie parum, quàm raro satis sumere. Nihil prodest, biduo triduoq; transmissio, uacuum portare uentrem, si pariter obruatur, si compensetur saturitate ieiunium. Tantum tibi ieiuniorum adsume, quantum ferre potes. Diuersus est enim hominum stomachus. Alij amaris, alij dulcibus, alij austerioribus, alij leuibus delectantur cibus. Sic debes ieiunare, ut non palpites, & uix respirare possis. In ieiunio non perfecta uirtus, sed cæterarum uirtutum fundamentum est, & satisfactio atque pudicitia, sine qua nemo uidebit Deum.

**Q**uid prodest tenuari abstinencia corporis, si animus intumescat superbia?









*De mi d'is 87*  
*de mi d'is*

SENTENTIAE

EX DIVI

HIERONYMI EPI-

stolis piæ admodum, ad puerorum

cum linguas, tum mores for-

mandos selectæ.



COLONIAE Ioannes Gymnicus excudebat

ANNO M. D. XLII.

A 342

GERHARDI  
GILDEHI BOR-  
kensis, ad lectorem Te-  
traſtichon.

*Sit te grata iuuēt noſcere dogmata  
Ex diuī uarijs carpta Hieronymi  
Scriptis, codicū me lege paruulū,  
Quæ non diſpliceāt, plurima uideris.*



2731.1920

SENTENTIAE  
HIERONYMI  
selectæ.



Consuetudo est, quæ aut uicia, aut uirtutes alit: quæq; in his plurimum ualet, cū quibus ab ineunte ætate simul creuerit. Optimi sunt ad institutionē primi quiq;

anni, habent enim in se lentum quoddam & molle, quod facile formari queat, atque ad arbitrium uolentistrahi. Et in cunctis ferè rebus citiùs adsuescit omne quod tenerum est. Nouellas adhuc & uix firmæ radicis arbusculas, dum ad omnem ductum sequaces sunt, in quamlibet partem flecti facile est: quæ natura plerunque curuata, citò ad arbitrium uolentis corriguntur. Tenera adhuc & primæ ætatis animalia sine labore domari solent. Quanto citiùs à uagandi libertate dissueta sunt, tantò faciliùs uel colla iugo, uel frenis ora insuescunt. Ipsa quoque literarum studia teneris meliùs inseruntur ingenijs; idq; penitus inhærere sensibus



## S E N T E N T I A E

solet, quod prius federit in mēte. Hoc idem plurimum etiam in benè uiuendi ratione ualet, dum adhuc mobilis est ætas, & animus duci facilis, exercenda bona consuetudo, & iugi meditatione firmanda est. Occupandum est optimis rebus ingenium, & sanctæ conuersationis usus altius inferendus est. Tunc uerò ad perfectionis fastigium animus ascendit, & longæ consuetudinis beneficio utitur ad benè uiuēdi facultatem, & uirtutes suas ipse etiā miratus secū, quodāmodò in se putabit natū esse quod discit.

**B**onum est quidem homini sapere, si iuxta scripturas ad hoc sapiat, ut prudentiā habeat futuroꝝ, mortalitatis statū, p̄ quotidie morientū hominū exitus, & totius seculi paulatim p̄ detrimenta labentis ruinam considerans. Cæterū si quis usurpatæ semel intentionis ducatur intuitu, & sua se magis quàm Dei uelit gubernari sentētia, diuināq; lēge posthabita, propria consilia Dei consilijs anteponat, hanc prophetæ clamantis timeat uocem: Væ despicientibus lēgem Domini, timor, fouea & lacus.

Beatus

## HIERONYMI.

**B**Eatus uir qui in lēge Domini die noctuq; meditatur, cuius animus aliud nelcit, quàm sermonis Dei eloquia retrāctare. Quantò à terrena cogitatione remotior est, tantò Deo uicinior & cœlo est.

**S**I uis ad uitam ingredi, serua præcepta. hoc est: Ab omni illicito, quo prohiberis, recedas, & ad omne bonum, quod iube ris, promptus accedas.

**D**ignus quidem est operarius mercede sua: sed & dignum est, ut indè præmi um operis accipiat, ubi totius operam laboris impendit. Nemo militans Deo implicet se negocijs secularibus, ut placeat ei, cui se probauit: Apostoli uox est. Vndè satis timeo, ne fortè in illa retributionis die, qua ante tribunal Christi unicuique secundum sua facta reddendum est, his qui in terrenis magis negocijs, quàm in cœlestibus laborauerunt, iusti iudicij responsione dicatur: *Ite si potestis, & illic ubi tota deuotione seruiuistis, mercedem uestræ seruitutis exigite.*

**S**I omnibus haud rectè uiuētibus gehennæ pœna promittitur, omnes debemus

A 3 eadem

## SENTENTIAE

eadem diligentia & cauere prohibita, & ex-  
plere præcepta. Dum tempus habemus, se-  
minemus in spiritu, ut messem in spirituali-  
bus colligamus. Peccat quidem ille, qui im-  
perata neglexerit: sed plus peccat, qui inter-  
dicta non seruat.

**N**emo in deteriori & extranea patria  
plus elegit possidere, quàm in sua.  
De his tantùm sollicitudinem habere debe-  
mus & curam, quæ nobiscum transferre  
possimus. Rogo, quo pudore obsequij aut  
laboris sui mercedem sperabit à cælo, cuius  
fuerit sollicitudo omnis in terra? Mercena-  
rius seculi non potest accipere præmium  
missi.

**S**i quis duobus oculis, duobusq; laboret  
pedibus, & utriusque membri habeat  
in potestate medicinam, & uno pede, uel  
oculo uno sanato, ab alterius cura uelit me-  
dicum prohibere, non ne uesanae mentis, &  
medici iudicio, & omnium hominum erit  
sententia condemnandus?

**P**riusquàm audias, ne iudices quenquã:  
atque ante probationem accusationis  
illatae

## HIERONYMI.

illatæ neminem à tua communione suspen-  
das, quia non statim qui accusatur, reus est:  
sed qui conuincitur, criminofus.

**N**ON tibi, obsecro, blandiaris de Da-  
mini pietate, qui tam diu peccatores  
mifericorditer sustinet in peccatis. Et si diu-  
turna est exspectatio: non minùs formidan-  
da est uindicta, quæ tantò durior est, quan-  
tò longius tempus in sustinendo præcessit.  
Propterea si secùs quàm debes egeris, peri-  
culum expauescas. In hac uita mortalibus  
nihil est ualidius, nō est quidquam salubri-  
us, quàm ut statim peracto delicto, cōfessio-  
nis non differatur medela.

**N**ON nobis blandiri debemus in fa-  
ctis iussorum, si in prohibitorū trans-  
gressione peccemus, quum transgressionis  
crimen benefacti meritum tollat.

**P**ersonam pauperis non accipies in iudi-  
cio, ne sub prætextu misericordiæ, quod  
iniustum est, iudicemus. Vnusquisque enim  
non hominum, sed rerum pondere iudican-  
dus est. Nec diuiti obsunt opes, si eis bene  
utatur: nec pauperem egestas commenda-

## S E N T E N T I A E

biliores facit, si inter sordes et inopiam peccata non caueat.

**A**ger spinosus, nisi antè cultoris labore fuerit extirpatus, non nutrit in se iacta semina, sed suffocat: ita & animus secularium sollicitudinum plenus illecebris, uerbum non potest sustinere diuinum, nisi priùs ipsas mundi sollicitudines, culparumq; omnium materias in se falce succiderit.

**O**Mne quod non ædificat audientes, in periculum loquentium uertitur. Veritas quidem claudi & ligari potest, uinci non potest.

**C**ONSideremus quid loquamur: quia pro omni uerbo ocioso reddituri sumus rationem in die iudicij. Verbum quidem ociosum est, quod sine utilitate dicentis & audientis profertur.

**G**Randi plagæ alta & prolixa opus est medicina: grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem. Non est dubium, leuius esse crimen ubi homo peccatū suum ultrò confitetur pœnitens. At ubi celans mala sua inuitus detegit, & nolens publicat,

## HIERONYMI.

blicat, illud grauius scelus est. Si mente cernerēt homines, quale iudicium emittet Deus mundo, sensus humanus non dispergeretur uanitate seculi: sic non infidelitate grauari uarentur: quantumuis & qualemuis cruciatum ad præsens libentissimè sufferrent, etiam si esset longior uita, dummodò illas pœnas æterni ignis non incurrerent.

**O**Mne opus leue fieri solet, cū eius precium cogitatur: & spes præmijs solatium est laboris. Sic durus agricola in aratum diu campum & pinguiores ocio glebas uiolento uomere scidisse se gaudet, & mirum in modum ipsa operis difficultate letus, spem segetis de labore metitur. Sic negociator auidus maria contemnit, spectare ausus fluctuum spumas, rabiemq; uentorū: dumq; in omni labore ac periculo lucrum cogitat, & lassitudinem simul obliuiscitur, & timorem.

**E**st tutissimum atq; perfectum, ut adsuescat animus sollicita semper peruigiliq; custodia discernere cogitationes suas, & ad primi animi motum uel probare, uel reprobare quod cogitat, ut uel bonas cogitatio-

## SENTENTIAE

nes alat, uel statim extinguat malas.

**T**V si uerè laudabilis esse cupis, laudem hominum ne requiras: illiq; præpara conscientiam tuam, qui illuminabit abscondita tenebrarū, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus tibi erit à Deo.

**M**agni hoc animi signum & perfectæ uirtutis indicium est, renunciare subito expertæ uoluptati, fugere notas carnis illecebras, & calentis adhuc ætatis flammam fidei amore restringere.

**D**IV antè considera quid loquendum sit, & adhuc tacens provide, ne quid dixisse pœniteat. Verba tua ponderet cogitatio, & linguæ officium animi libra dispenset. Mentiri atque iurare lingua tua prorsus ignoret, tantusq; in te sit ueritatis amor, ut quidquid dixeris, iuratum putes.

**N**ihil habeas humilitate præstantius, nihil amabilius. Hæc est enim præcipua obseruatrice, & quasi custos quædam uirtutum omnium: nihilq; est quod nos ita & hominibus gratos, & Deo faciat, q̄si uitæ merito magni, humilitate infimi simus.

Mores

## HIERONYMI

**M**Ores mutare, singulasq; uirtutes ani-  
mi formare in se atque perficere,  
grandis studij est, & longæ consuetudinis.

**E**T si uirtuosus sit animus, tamē nisi re-  
gatur, nisi dirigatur continuò, citò deri-  
puitur à sancto proposito. Principium spiri-  
talis operis si non sit matura prouisio, solet  
subsequi quoddam carnale.

**M**Agis contemplantur oculi Domini  
adfectum, quàm censum. Melius est  
enim in seculo cum cæteris diuitibus diui-  
tijs insistere, quàm in monasterio pauperē  
ipsas adpetere.

**P**Ræterit figura huius mundi, & Deo  
magis obedire conuenit, quàm homi-  
nibus. Qui scit præterita, de futuris æstimat.  
Vno enim sermone tota lex adimpletur:  
Omne quod tibi fieri nolueris, alij ne fe-  
ceris.

**I**N sapientia ambulate ad eos q; foris sunt.  
Non te extollat salutatio plurimorū. Mu-  
nera diuitum & obsequia te non uincant.  
quia munera excæcāt oculos iudicum. Nec  
plus sit apud te matrona nobilis & diues, q̄  
professa pauper atq; mendica.

Propter



## S E N T E N T I A E

**P**ropter iniusticiam in iudicio pauperē non defendas, nec propter gratiam diuiti indecenter adsisas; aut si hoc non potes facere, cognitionem respice causarum, Non omnibus qui loquuntur, sis facilis ad credendum. Leuitas enim in credendo, leuem denotat mentem. Nequaquam effrenis lingua reperiaris.

**N**on sufficit, cūcta temporalia in mundo relinquendo, ad monasterij paupertatem accedere, si mens misera adpetit quæ reliquit.

**M**irum quidem de infœlici conditione plurium hominū. Sunt enim nōnulli uiles & abiecti in seculo, qui quotidianis laboribus se ultra uires adfligentes, pro uictu captando uilissimo, & uix raris fabis & rapis cum rudi & hordeaceo pane saturantur. Cū uerò ad Christi mensam accedunt, & militiam Christi suscipiunt, suæ egestatis obliti, lautiora quærunt quàm milites, qui sunt adsueti magnificis.

**N**ON est monasterium, non religiosi, non monachi, ubi subditis obediētia  
deest

## HIERONYMI.

deest erga prælatum. Destructioni est corpus expositum, cùm membra discordant à capite.

**N**ON ambulant in uia Dei, qui in administratione regiminis honores & utilitates proprias exposcunt.

**S**ic erga inobedientes uirilis & constans sit animus, ut omnis muliebris mollicies discedat è medio. Excidantur in ortus primordio uepres, ne nimium excrescentes germina seminum suffocent. Nihil quippe in rectore periculosius est, quàm uana humilitas ad correptionem erga superbos proteruosq; subditos.

**S**emper in ira misericordiæ memor esto. Sicut nulla mouearis ratione uel credulitatem ex furore uel odio: nec tamen habeas manus remissas ad puniendum scelera.

**S**ic erudienda est anima, quæ futura est templum Dei; ut nihil aliud discat audire, nihil loqui, nisi quod ad timorem Dei pertinet. Turpia non intelligat, cantica mundi ignoret. Adhuc tenera lingua psalmis dulcibus imbuatur. Procul sit ætas lasciuæ  
• pue-

## SENTENTIAE

puerorum. Ipsæ puellæ & pedissequæ à secularibus consortijs arceantur, ne quod malè didicerint, peius doceant.

**V**Enena non dantur, nisi melle circumlita: & uicia non irrepunt, nisi sub specie umbræq; uirtutum.

**T**Vtissimum ualdè est, fidelem & iustum habere amicum: cui quidquid arcano cordis sinu latet, protinus referetur. Non enim in suis sæpè potest homo negotijs rectum habere iudicium.

**N**Vlla tam sancta, tã iusta & diu prouisa est constitutio, quæ in futurum plurimos non patiatur defectus, quæ aliquando correctione non egeat.

**N**ON est quod sic homines Deo facit amabiles, ut pietas mētis & bonitas: quæ tanta in Christiano esse debet, ut etiam in malis abundet, Deiq; imitetur beneuolentiam, qui solem suū oriri facit super bonos & malos, et pluit sup iustos & iniustos.

**Q**Uocunq; uultis ut faciant uobis homines bona, hæc & uos facite illis.  
hoc

## HIERONYMI.

hoc est: Vt nihil mali inferamus alijs, et præstemus omne quod bonum est, quia uolumus hoc ab alijs in nos utrunq; seruari.

**N**illum quippe mandatum Dei contemptibile nobis uideri potest, si eius temper cogitemus authorem sine murmuratione & hæsitatione.

**V**ilium satis hominum est, & suam laudem quærentium, alios uiles facere, quia alterius uituperatione se laudari putant, & qui suo merito placere non possunt, placere uolunt in comparatione peiorum. Pessimum est hoc uicium, quod alterum uilem facit uideri. Non minus auribus quam lingua fugias detractionem. Scripturæ memor esto, quæ dicit: Non eris consentaneus derogantibus aduersus proximum tuum, & non accipies super illo peccatum. Et alibi: Sæpi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam. Accusator est enim auditor, qui facit detractorem: qui si auertat aures, & uultum contrahat, ac oculos abnuendo contineat, malè loquentem etiam tacens arguit, ut discat non libenter dicere, quod didicerit non libenter audire. Sollicitam satis ori tuo custodiam

## S E N T E N T I A E

diam pone. Non est quidquam enim in nobis, quo facilius peccare possumus, quam in lingua. Mētiri, maledicere, & iurare lingua tua nesciat. quia & os, quod mentitur, occidit animam: & qui maledicūt, regnum Dei nō possidebūt. Et iurare ipse Christus prohibuit, qui dixit: Ego autem dico uobis, non iurate omnino. Cum ingenti cautione debet loqui, cui non solūm malus, sed etiam ociosus sermo uitandus est.

**A**Dulatores ut inimicos caue, quorum sermones super oleum molles, & ipsi sunt iacula. Corruptunt fictis laudibus leues animas, & malè credulis mentibus blandum uulnus infligunt. In hanc omnes nos scholam studiumq; dedimus, ut officium putemus illudere, quodq; ipsi ab alijs libenter accipimus, id alijs quasi quoddam munus offerimus, & spe recipiendæ laudis, eos, à quibus laudari uolumus, antè laudamus. Sæpè adulantium resistimus uerbis ad faciem, & in secreto mentis fauemus, maximumq; fructum cepisse nos duximus, si uel fictis laudibus prædicamur. Nec cogitamus quid ipsi sumus, sed quid alteris esse uide-  
mur.

## HIERONYMI

mur. Vnde eò producta res est, ut neglecta ueritate meriti, de sola opinione curemus, q̄ testimoniũ conscientiæ nostræ, nō à conscientia nostra, sed à fama petimus. Beata mēs est, quæ perfectè hoc uicium uincit, nec aduersatur aliquando, nec adulanti credit, quæ nec decipit alterum, nec ipsa decipitur. Nunquàm aliud corde, aliud ore præendas. Quidquid pudet dicere, pudeat etiam cogitare.

**Q**uotiescunque talem in alterum habueris animum, qualem in te ab altero seruari cupis, æquitatis uiam tenes. Quoties uerò talis erga alterum fueris, qualem in te uis neminem, iter iusticiæ dereliquisti.

**N**ulli unquàm omnino detrahas: nec aliorum uituperatione te laudabilem uideri uelis: magisq̄ uitam tuam ordinare disce, quàm alienam carpere.

**N**ON quæruntur in Christianis initia, sed finis. Paulus malè cœpit, sed bene finiuit. Iudæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatur.

B

Nemo

## SENTENTIAE

**N**emo est tanta firmitate suffultus, ut de stabilitate debeat esse securus, dicente Apostolo: Qui stat, uideat ne cadat.

**N**Vlla ars absq; magistro discitur. Etiam muta animalia & ferarum greges ductores sequuntur suos. In apibus principes sunt: greges unam sequuntur ordine literato.

**N**ihil Christiano scelicius, cui promittitur regnum cœlorum. Nihil laboriosius, qui quotidie de uita periclitatur. Nihil fortius, qui uincit diabolum. Nihil imbecillius, qui à carne superatur.

**V**igilando timor omnis excluditur, fiducia nascitur, caro maceratur, uicia tabescunt, charitas roboratur, recedit stulticia, accedit prudentia, mens acuitur, error obtunditur, criminum caput diabolus gladio spiritus uulneratur.

**Q**uis gloriabitur casum se habere coram Astra non sunt munda in conspectu domini, quanto magis homines, quorum uita tentatio est. Vae nobis miseris: quotiens concupiscimus, totiens fornicamur.

Libi-

**L**ibidinosa mens ardētius honesta persequitur, & quod non licet, dulcius suspicatur.

**D**isplicent mihi in tēneris maximè ætatibus longa & immoderata ieiunia, in quibus iunguntur hebdomades, & oleæ in cibo ac poma uetantur. Experimento didici, asellum in uia cū lassus est, diuerticula quærere. Parcus cibus & uenter esuriens triduanis ieiunijs præfertur. multò em̄ melius est quotidie parū, quàm rarò satis sumere. Nihil prodest, biduo triduoq; transmissio, uacuum portare uentrem, si pariter obruatur, si compensetur saturitate ieiuniū. Tantum tibi ieiuniorum adsume, quantum ferre potes. Diuersus est enim hominum stomachus. Alij amaris, alij dulcibus, alij austerioribus, alij leuibus delectantur cibus. Sic debes ieiunare, ut nō palpites, & uix respirare possis. In ieiunio nō perfecta uirtus, sed cæterarum uirtutum fundamentum est, & satisfactio atque pudicitia, sine qua nemo uidebit Deum.

**Q**uid prodest tenuari abstinentia corpus, si animus intumescat superbia?

B z Quam



## S E N T E N T I A E

Quam laudē merebimur de pallore ieiunij, si inuidia liuidi sumus? Quid uirtutis habet uinum non bibere, & ira atque odio inebriari? Tunc præclara est abſtinentia, tunc pulchra atque magnaſtica caſtigatio corporis, cūm eſt animus ieiunus à uicijs.

**P**luuia illa optima eſt, quæ ſenſim deſcendit in terras. Subitus ac nimius imber in præceps, arua ſubuertit. Optimus eſt in omni re modus, & laudabilis ubiq; meſura. Quod laudabile eſt in genere ſuo, fit de nimietate ſua culpabile. Generaliter quidem ſtrictimq;, ſed breuiter dicēdum eſt: In bonis quoque rebus quidquid modum exceſſerit, uicium eſt.

**Q**uidquid illud, quod inflāmare corpus poteſt, quod fomentum ſuggerit uoluptati, caſtitalis amore fugiendū eſt.

**G**randem uim obtinet uera dilectio: & qui perfectè amatur, totam ſibi amanti uendicat uoluntatem. Nihil eſt imperioſius charitate.

**N**ihil tam inquietat animum, nihil eſt quod ita mobilem mentem ac leuem faciat,

## HIERONYMI

faciat, quàm facile totum credere, & obtrectatorum uerba temerario ad sensu mentis sequi. Hinc enim crebræ dissensiones, hinc odia iniusta nascuntur. Hoc est quod sæpè de amicis etiam inimicos facit, dum concordem quidem, sed credulas animas maliloqua lingua dissociat. At cōtrà: Magna quies animi, magnaq; est morum grauitas, non temerè de quolibet sinistri quid audiri. Adulatorum adsentationes & noxia blandimenta fallaciæ, uelut quasdam pestes animæ fuge.

**T** Antò faciliùs abstinemus à quocunq; delicto, quãtò illud magis metuemus: nec citò ad maiora progreditur, qui etiam parua formidat. estq; ille prudentissimus, qui non tantum considerat quod iussum sit, quàm illum qui iusserit: nec quantitatem imperij, sed imperantis cogitat dignitatem.

**M** Aximam partem æquitatis impleuit, qui nulli nocuit: beatusq; est, qui potest cum sancto Iob dicere: Nulli nocui hominum, iustè uixi cum omnibus. Purissimæ cōscientiæ est, securè canere cū propheta Dauid: Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ. Vndè

## S E N T E N T I A E

Idem alibi dicit: Non fraudauit eos Deus bonis, qui ambulant in innocentia.

**I**Nter Christianum & gentilem non fides tantum debet, sed etiam uita distinguere, & diuersam religionem per diuersa opera monstrare.

**Q**uid tibi necesse est in ea uersari domo, in qua necesse habes quotidie aut perire aut uincere? Quis unquam mortaliu*m* iuxta uiperam securos fomnos capit? quæ etsi non percutiat, certè sollicitat. Securius est perire non posse, quàm iuxta periculum non perisse.

**F**idelius & gratius semper obsequium est, quod ab amore, quàm quod à metu percipitur.

**N**OS in nostra terra (dictum est quippe ad Adam: Terra es) necessariam habebimus fortitudinem Dei, quia absque ea impossibile est nobis id exsequi, quod carni repugnat. Cum autem mortificata fuerint membra supra terram, tunc parent spiritus uoluntati.

**S**uperba mens hominum improvida periculi, semper maiorum dignitatum ascensum expetit, nec nisi post factum ex descensu terretur.

Reli-

## HIERONYMI.

**R**eligio sancta nō potest esse in loquacibus personis, quę nullo possunt tempore silere, nec abstinere ab inutilibus uerbis. Lingua hominum ad iudicia præceps, absentium uitam ut plurimum non cessat hinc indè corrodere.

**V**entris ingluuies & ebrietas tam animæ infirmitatis, quàm corporis causam & materiam tribuunt. Nimis est demens & fatuus, qui materiã præparans igni ad incendium, non uult ut ardeat.

**A**eterna uita non nisi per omnem diuinorum præceptorum custodiã promereri potest, scriptura dicente: Si uis ad uitam ingredi, serua mandata. Præceptorum obseruatio duplici genere custoditur: Ut nihil eorum quæ prohibentur facias: & cuncta quæ iubentur, implere contendas. Non propter arboris fructum Deus hominem morte mulctabit, sed propter mādati transgressionem.

**P**reciosa Deo lingua est, quę non nisi in diuinis rebus nouit uerba construere: & sanctum est os, undè cœlestia semper eloquia proferuntur.

## SENTENTIAE

**V**BI timor est & tremor, ibi non uocis elatio, sed animus flebilis est & lachrymosa delectatio. Omnibus actibus tuis diligentiam adhibe, quia scriptum est: Maledictus homo qui facit opus Dei negligenter.

**N**ON licet tibi alterius uituperationem patiēter audire, qui nec ab alijs optas recipi tuam.

**Q**uia impossibile est in sensum hominis non irruere motum medullarū, calorem non sentire: ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui statim ut cœperit cogitare, interficit cogitatus, & allidit ad petram. Petra autem Christus est.

**N**ULLUS unquam in mente tua ullius sit uicij locus, nihil in te superbum, nihil arrogans, nihil in te fastidiosum. Apud Deum nō est quidquam humilitate sublimius.

**V**ACUUS uiator & nudus non timet latronis insidias, securus à nocturnis furibus dormit pauper, etiam si claustra non muniat.

**A**Liorum uulnus nostra sit cautio. Pestilente flagellato, sapiens sapientior erit,

## HIERONYMI.

erit, sanctus amor impatientiam non habet.  
Falsus rumor citò opprimitur: & uita poste-  
rior iudicat de priore. Fieri quidem non po-  
test, ut absque morfu hominum, uitæ huius  
curricula quis pertranseat: malorumq; sola-  
tium est bonos carpere, dum peccantium  
multitudine putent culpam minui peccato-  
rum. Sed tamen citò ignis stipulæ conqui-  
escit, & exundans flamma deficientibus nu-  
trimētis paulatim emoritur. Cesset uicium,  
cessabit & rumor.

Omni oblatione & hostia preciosior est  
obtemperantia mandatorum.

Communis mercatorum habet usus, ut  
uenditio commutetur in melius.

Immundus reputatur, qui immundum  
quidquam tetigerit.

Quantò altior est ascensus, tantò durior  
est descensus.

Animus diffusus ad plurima, circa singu-  
la non potest attendere.

Non ciborum nobilitas adpetitum mo-  
ueat, sed fames.

Verè credatis quòd ignem portat in gre-  
mio, qui assiduo utitur uino.

## S E N T E N T I A E

Magnus quidem est pudicitiae labor : sed maius præmiũ temporalis custodia , sed remuneratio æterna est.

Nunquam uirtutũ uiam ualemus ingredi, nisi spe ducamur comite.

Proferenda semper in noticiam ea res est, cuius usus desideratur.

Ante Deũ ille iustus probatur , qui corpore sanctus est & corde.

Apertus contemptus Dei est , uel facere prohibita, uel iussa non facere.

Finis in ipso exordio cogitandus est.

Tantò maiore placendi studio opus est, quantò maior est ille cui placendum est.

Optima ornamenta sunt aurium uerba Dei.

Infirmus hostis est, qui non potest uincere, nisi uolentem.

Voluntas perfecta faciendi reputatur pro opere facti.

Diuersitas operum diuersitatẽ facit præmiorum.

Nunquam errat qui sequitur ueritatem.

Nihil quietius, nihil purius , nihil deniq; pulchrius

## HIERONYMI

pulchrius ea mēte esse debet, quæ in Dei habitaculum præparanda est.

Periculosè promittitur, quod adhuc in alterius potestate est.

Facilè ex amico inimicū facies, cui promissa non reddas.

Quid pulchrius anima, quæ Dei filia appellatur, & nullos extrinsecus quærit ornatus.

Non est parui apud Deum meriti, bene filios educare.

Periclitatur pro certo, quem medicus curat: sed perijt & decipitur cui renunciat.

Tunc doctrina doctorum suauitas est, cum doctrina pariter & uita consentiunt.

Lædit discipulus magistrum, si per negligentiam suam præcepta eiusq; laborem disperdat.

*Quæ sequuntur sunt Ioannis Chrysostomi.*

**N**emo desperet, si per ocium & inertiam plurimum temporis fuerit peractum, quando uel paruo tantum cuique compensare liceat operādo, quantum neq;  
in omni



## SENTENTIAE

in omni superiori tēpore factitare potuisse.

**N**OS ad uirtutē omni conatu nitamur, ut fortunæ illa consequamur bona, quæ Deum colentibus statuta atque propo-  
sita sunt.

**C**ONcupiscamus ex animo Deum nul-  
la gehennæ formidine, sed regni ipsi-  
us cœlestis cupiditate. Quid enim est, quod  
possit diuino illi spectaculo æquari? profe-  
ctò nihil. Quid quod bonis illis cœlestibus  
par esse queat, quæ nec oculus uidit, nec au-  
ris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ  
præparauit Deus se colentibus? ut Paulus  
inquit. Illa omni studio (præsentibus his ne-  
glectis) consequi nitamur.

**Q**Uemadmodum is, qui post partam  
uictoriam coronam exspectat, præ-  
sentes labores pro nihilo ducit: sic  
& is, quem post delectationem manent tor-  
menta, nequit fructum puræ uoluptatis (ti-  
more omnia perturbante) capescere.

**A**Mor quippe diuitiarum ille inexple-  
bilis est & infinitus, quantòque plus  
processeris uia, tantò magis à fine aberis.

Quid

## CHRYSOSTOMI.

**Q** Vid inferri cuiquam molestius potest, quàm omniū in se cōcitare odia, ipsumq; omnes habere inuisos, imitem se præbere uniuersis & intractabilē, expleri nunquam, siti cōtinua laborare, adflīctari fame assidua ultra quàm credi potest grauiori, mœrore confici quotidiano, angī continuò & perturbari?

**Q** Vid improba cōscientia molestius? quid spe meliori suauius? nihil profectò. Nihil adeò nos frāgere uel urgere consueuit, quàm rei aduersæ, aut mali imminentis exspectatio. Nihil inquam nos adeò subleuat & quasi uolitare facit, quàm recti conscientia.

**Q** Vemadmodū is, qui fœminam quanpiam adamarit, alia uisa, quæ pulchritudine priorem excedat, illa intermissa, hanc deperibit: sic terrenæ gloriæ sectatores, ut primū diuina illuxerit, eam facilè contemnent. Spectanda itaque erit cœlestis illa & diligentissimè imbibenda, ut illius admirati decorem, huius cauere possimus turpitudinem. Sic perpetuis freti delicijs, plurima uoluptate potiemur.

Nihil


## S E N T E N T I A E


**N**ihil magis admirantur mortales, quàm qui gloriam aspernetur : nec quenpiam maiori laude et admiratione prosequuntur, quàm qui laudari se pro nihilo duxerit, aut magnifieri . Quod sanè si homines ipsi id agimus, quantò magis cunctorum Deus gloria te & laudibus extollet, si eas te contemptui habere cognouerit?

**S**olent res paruè facere nos ad stipẽ erogandam promptiores . Multiplex uerò & abundans possessio, & bonorum fortunæ diffidentia, & rem familiarem augendi immoderata libido, homines faciunt tenaciores.

**M**elius est ingredi domum luctus, quàm domum læticiæ. Indè nanq; ad uirtutem incenditur animus . Nam si lasciuentibus cæteris & ipse arriseris, erit id tibi quædam ad luxum & incontinentiam incitatio. sin autẽ, mœsticia corripieris. In domo autem luctus nihil eiusmodi. nam si deliciæ deerunt, dolore carebis. si uerò inerunt, abstinebis.

F I N I S.





Konserwacja dokonana w r. 1938  
przez Piotra Karwskiego  
Intreligatora Biblioteki Miejskiej

D. 1301



2730  
1920  
Ber.